

§. 13. Prætereà jus summum propriè dictum vel sic est comparatum, ut mutatis circumstantiis, ipsum semper maneat idem, nulloque tempore ac locò admittat exceptionem, aut limitationem, qualia sunt illa: Deus est diligendus, colendus &c. Vel ita formatum, ut positis certis circumstantiis exceptio aut limitatio locum inveniat; cuiusmodi est hoc: Septem oportet testes adesse, quando legitimum conditur testamentum; &c. Propter hoc alterum genus opus est nunquam ad jus summum propriè tale, accedere æqvitatem, prudenter excipientem ac limitantem.

§. 14. Est autem æqvitas juxta Aristotelem *Lib. V. Nicom. Cap. XIV. correctio legis justa in ea parte, quâ propter universalitatem deficit.* Non indigna sunt verba Philosophi, d. l. quæ huc adscribantur: *Quando lex universaliter quid dixerit, & præter universale postea aliquid contigerit, rectè se habet, si quâ parte legislator deficit, absolutèq; ac simpliciter loquendo peccavit, corrigatur defectus: id quod legislator etiam ipse si adesset, dixisset. Estq; ea boni & æqui natura, quâ parte deficit ob universalitatem, emendatio sit.*

§. 15. Dicitur 1) ἐπινοήσιμα, correctio; non quòd legis sit aliquid erratum, sed quòd generaliter fuerit posita absque circumstantiis: & differt hoc ipsò à dispensatione, quæ legis obligationem in particulari quodam casu tollit. Correctio autem legem non tollit, sed quomodo intelligenda sit, monet, ne ibi aliqua legis obligatio fingatur, ubi nulla est. Utamur exemplò *Excell. Thomasi Not. ad Tab. XXV. Phil. Pract. Adnot. CXVI. num. 3.* Sit v. g. lex in aliqua civitate: Peregrinus, si murum adscendat, capite plectatur. Eveniat casus, ut in publico ab hostibus murum invadentibus periculo, deiciendorum illorum gratiâ, conscendat & murum peregrinus. Svadet, hîc æqvitas, ut hoc factum peregrini non modò sit impune, sed vel præmio adficiatur. Nec enim præsumitur mens alia fuisse legislatoris, quàm curiositati aut animo proditorio peregrinorum ponere obicem. Limitata ergò lex juxta dictamen æqvitatis sic sonabit: Peregrinus si murum adscendat, scilicet curiositatis aut prodendæ urbis gratiâ, capite plectatur. Et sic limitata vocabitur Æqvum.

§. 16. Æqvitatem autem admittit (1) Lex divina positiva; talis erat, quæ jubebantur Israëlitæ ab operibus laboriosis die Sabbathi abstinere; & tamen ubi bos in puteum delapsus, aut proximi falus cras-